

ipsa venisti neque juxta praeceptum nostrum sufficientes pro te ad decisionem causae nuntios direxisti. In quo profecto non justitiam expectare, sed dissimulationibus quibusdam et occasionibus tempus infinitum (videbaris) velle protrahere. Casinenses autem fratres cum in omnibus terminis parati ante nostram praesentiam convenissent, demum in apostolorum octavis uti utrique parti mandatum fuerat convenerunt, suam instanter justitiam postulantes. Unde nobis et fratribus nostris rationabile visum est, ut deinceps dilationis vel absentiae tuae occasionibus Casinenses fratres non debeant manere possessionibus Cinglensis ecclesiae spoliati. Non enim qui possessa re spoliatus est, juxta legum instituta et sanctorum canonum sanctiones ad juris cogitur actionem accedere. Ex fratrum itaque nostrorum judicio dilectioni tuae praecipiendo mandamus, ut infra viginti dies postquam litteras praesentes acceperis, Casinenses fratres de praedicta Cinglensi ecclesia salva monasterii tui justitia in integrum reinvestias. Interim eidem ecclesiae res quas spoliationis tempori habuit, a te vel a tuis hominibus minime auferatur (l. auferantur).

2. Jaffé 5078.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei A. abbatissae monasterii sanctae M. salutem et apostolicam benedictionem. De negotio Cinglensis ecclesiae tot et tanta jam tibi scripsimus, ut si esse obediens voluisses, nequaquam plura scribere deberet. Dum nos paterna te benignitate ac mansuetudine toleramus, tu nostram in derisu patientiam habens, nichil eorum quae tibi praecipimus satagis adimplere. Sicut enim comperimus, non solum Cinglensem ecclesiam Casinensibus fratribus juxta mandatum nostrum restituere noluisti, verum etiam ad nostram injuriam et contemptum libros et res alias eidem ecclesiae asportasti. Praesentes igitur ad te litteras dirigentes apostolica tibi auctoritate praecipimus, ut nichil deinceps de Cinglensis ecclesiae rebus auferas, sed omni occasione vel dissimulatione postposita, ecclesiae ipsi quae per te ablata sunt reddas, eandemque ecclesiam cum omnibus rebus suis fratribus Casinensis monasterii beati B. restituas. Si autem nunc quoque contemptrix existens mandatum nostrum hoc infra XX^{ti} post harum litterarum acceptionem dies minime adimpleveris, nos extunc in Cinglensi ecclesia divina officia interdicimus. Porro tibi omnem monasterii praelationem potestate auctoritatis apostolicae prohibemus, quoadusque prae-phatam restitutionem cum integritate adimpleas et nobis de nostro contemptu plenarie satisfacias.

3. Jaffé 5094.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei, karissimo filio et fidei nostro R. comiti salutem et apostolicam benedictionem.